

CONSILIUM AD EXSEQUENDAM CONSTITUTIONEM
DE SACRA LITURGIA

NOTITIAE

30

IUNIO 1967



CITTÀ DEL VATICANO - PALAZZO SANTA MARTA

NOTITIAE

Commentarii ad nuntia
de re liturgica edenda cura
Consilii
ad exsequendam Constitutionem
de sacra Liturgia

« Notitiae » prodibunt semel in mense.
Libenter, iudicio Directionis, nuntium
dabitur Actorum, inceptuum, editionum
in re liturgica, praesertim e Coetibus
Episcoporum vel Commissionibus litur-
gicis nationalibus emanantium, si scripto-
rum vel periodicorum exemplar missum
fuerit.

Directio: Commentarii sedem habent in
Civitate Vaticana, Palazzo S. Marta, ad
quam transmittenda sunt epistolae, char-
tulae, manuscripta, his verbis inscripta:
NOTITIAE, *Città del Vaticano*

Administratio autem residet apud
Libreria Editrice Vaticana
Città del Vaticano

Pro commentariis sunt in annum solvendae:
in Italia lit. 2.000
extra Italiam lit. 3.000 (\$ 5)
singuli fasciculi veneunt:
lit. 200 (\$ 0,35)
Pro annis praecedentibus
singula volumina: lit. 4.000 (\$ 7)
id. linteo contexta: lit. 5.000 (\$ 8,40)
singuli fasciculi lit. 400 (\$ 0,70)

★

Libreria Editrice Vaticana
C.c.p. N. 1-16722

TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS

30

Vol. 3 (1967), n. 5

SUMMARIUM

Sacra Congregatio Rituum

Instructio altera ad executio-
nem Constitutionis de sacra
Liturgia recte ordinandam . 169

Variationes in Ordinem Mis-
sae inducendae 195

Acta Consilii

Summarium Decretorum qui-
bus deliberationes Coetuum
Episcoporum confirmantur . 212

In nostra Familia 217

Actuositas Coetuum Episcoporum

Incepta ad instaurationem li-
turgicam moderandam: Civi-
tates Foederatae Americae
Septentrionalis 218

Helvetia: De benedictione
populi in fine Missae . . 220

Nuntia

Italia: Convegno « Musica e
canto nella Liturgia » . . 223

Novum Commentarium de
re musica 223

U.S.A.: New name of the
Liturgical Commission . . 223

Liturgical Study Weeks . . 224

ZUSAMMENFASSUNG

Die « Zweite Instructio » zur Durchführung der Liturgie-Konstitution (S. 169-194).

Der erste Abschnitt der Liturgiereform, offiziell begonnen am 7. März 1965, mit der (ersten) Instructio vom 26. September 1964, hat Klerus und Gläubige aufgerufen zu einem besseren Verständnis der Liturgie und vermehrter Teilnahme an ihr. Das führte zu einer Vertiefung des geistlichen Lebens, aber auch zu einem grösserem Interesse für die Liturgie, einer vertieften Kenntnis derselben und zum Wunsch nach weiterer Vereinfachung. Einige Vorschläge, wie sie von Bischofskonferenzen, von einzelnen Bischöfen, Priestern und Gläubigen kamen, finden ihre Verwirklichung in der Zweiten Instructio der H. Riten-Kongregation und des « Consilium » vom 4. Mai 1967. Ohne die jetzt gültigen liturgischen Bücher anzutasten, bringt sie einige unaufschiebbare Veränderungen der Rubriken, immer aber in Harmonie mit der kommenden allgemeinen Reform. Die Instructio umfasst 28 Artikel. Nach einem jeden folgt ein kurzer Kommentar zur Erläuterung der Motive der neueingeführten Normen und der Aussichten auf künftige weitere Massnahmen.

Variationes in Ordinem Missae inducendae (S. 195-211).

Um die einheitliche und sinngemässe Durchführung der Zweiten Instructio im Hinblick auf die Messe zu erleichtern haben die Ritenkongregation und das « Consilium » eine offizielle Ausgabe besorgt der Teile des *Ordo Missae*, die von der Instructio betroffen werden. Diese Ausgabe bringt den Text des *Ordo Missae* von 1965 und, auf der Gegenseite, den neuen offiziellen Text. Für die nicht-zitierten Nummern bleiben die bisherigen Rubriken voll gültig.

Tätigkeit der Bischofskonferenzen (S. 218-222).

USA. Die Liturgische Kommission der Bischöfe erlässt Direktiven für die Feier der Messe unter besonderen Umständen, ausserhalb der Kirche, ferner für die Entwicklung der Kirchlichen Musik, in Übereinstimmung mit der mit der *Erklärung* der H. Ritenkongregation und des « Consilium » vom 29. Dezember 1966.

Schweiz: In Übereinstimmung mit der kommenden allgemeinen Messreform haben die Bischöfe der Schweiz die Erlaubnis erhalten, den Schlussegen der Messe durch den « Wettersegen » zu ersetzen, wie er in einigen Ländern deutscher Zunge während der Sommerzeit üblich ist.

Nachrichten (S. 223-224).

Die Liturgische Kommission der Vereinigten Staaten erhält einen neuen Namen, der besser ihr Wesen und ihre Zielsetzung zum Ausdruck bringt.

Liturgisch-kirchenmusikalische Tagungen und Wochen in Italien und in USA.

SUMMARY

« Second Instruction » for the implementation of the Liturgy Constitution (pp. 169-194).

The first stage of the liturgical reform, begun officially on 7th March, 1965, with the (first) Instruction of 26th September, 1964, has involved both clergy and faithful in the effort to understand better and to take part more fully in the liturgy. Besides a deepening in the spiritual life, it has resulted in greater interest, a deeper knowledge of the liturgy and the desire for further simplification. Some of the proposals made by Episcopal Conferences, by bishops, priests and faithful have been acted upon in the Second Instruction of the S. Congregation of Rites and of the Consilium, 4th May, 1967. Without necessitating changes in the present liturgical books, it introduces certain rubrical changes which cannot be delayed and which are in harmony with the future general reform. The Instruction consists of 28 articles. After each article, a brief comment shows the reason for the new norms, and prospects for the future.

Changes to be introduced into the Order of the Mass (pp. 192-211).

In order to facilitate the uniform and harmonious application of the Second Instruction, the S. Congregation of Rites and the Consilium have prepared an official edition of those parts of the *Ordo Missae* touched on by the Instruction. The texts of the *Ordo Missae* of 1965 and the new official text are placed side by side. In the numbers not mentioned, the preceding rubrics remain unaltered.

Activity of the Episcopal Conferences (pp. 218-222).

U. S. A. The Bishops' Committee on the Liturgy offers clarifications on the celebration of Mass in certain circumstances outside Church, and recommendations concerning the development of Sacred Music, in accordance with the *Declaration* of the S. Congregation of Rites and of the Consilium, 29th December, 1966.

Switzerland: In accordance with the future general reform of the Mass, the Swiss bishops have obtained permission for the blessing in the Mass to be replaced by the special « benedictio tempestatis », in use among certain German-speaking countries and regions during the summer.

Nuntia (pp. 223-224).

- the Liturgical Commission of the United States has a new name in accord with the general pattern of designating both standing and ad hoc bodies of the National Conference of Catholic Bishops as « committees ».
- meetings and liturgical weeks in Italy and the U. S. A.

SOMMAIRE

« Seconde Instruction » pour l'application de la Constitution liturgique (pp. 169-194)

La première phase de la réforme liturgique, commencée officiellement le 7 mars 1965, avec la première Instruction, du 26 septembre 1964, a poussé le clergé et les fidèles à un effort pour mieux comprendre la Liturgie et y mieux participer. En plus d'un approfondissement de la vie spirituelle, il en est résulté un intérêt plus grand, une connaissance approfondie de la Liturgie et le désir d'une simplification ultérieure. Quelques-unes des propositions faites par des Conférences épiscopales, par des évêques, des prêtres et des fidèles, trouvent leur place dans la Seconde Instruction de la S. Congrégation des Rites et du « Consilium », en date du 4 mai 1967. Sans toucher aux livres liturgiques actuels, celle-ci apporte quelques petits changements dans les rubriques, qui ne pouvaient attendre, et qui sont toujours en harmonie avec la future réforme générale. L'Instruction comprend 28 articles. Après le texte de chacun, un bref commentaire illustre les motifs des nouvelles normes introduites et les projets futurs.

Changements à introduire dans l'Ordo Missae (195-211).

Pour faciliter l'application uniforme et harmonieuse de la Seconde Instruction, en ce qui regarde la messe, la S. Congrégation des Rites et le « Consilium » ont préparé l'édition officielle des parties de l'*Ordo Missae* touchées par l'Instruction. On donne le texte de l'*Ordo Missae* de 1965 et, en face, le nouveau texte officiel. Pour les numéros non cités, les rubriques précédentes restent entièrement en vigueur.

Activités des Conférences épiscopales (pp. 218-222).

Etats-Unis. La Commission épiscopale de Liturgie donne des directives pour la célébration de la messe dans des lieux particuliers en dehors des églises, et pour le développement de la musique sacrée, en conformité avec la Déclaration de la S. Congrégation des Rites et du « Consilium » en date du 29 décembre 1966.

Suisse. Conformément à la future réforme générale de la messe, les évêques de Suisse ont obtenu que la bénédiction de la messe soit remplacée par la « benedictio tempestatis » spéciale, en usage l'été dans plusieurs pays de langue allemande.

Nouvelles (pp. 222-223).

— La Commission liturgique des Etats-Unis prend un nouveau nom, qui en indique mieux la nature et le but.

— Congrès et semaines liturgico-musicales en Italie et aux Etats-Unis.

SUMARIO

« Segunda Instrucción » para la aplicación de la Constitución litúrgica (pp. 169-194).

La primera fase de la restauración litúrgica, comenzada oficialmente el día 7 de marzo de 1965 con la (primera) Instrucción del día 26 de septiembre de 1964, ha exigido en el clero y en los fieles un esfuerzo para comprender mejor la Liturgia y participar en ella. Además de un aumento de la vida espiritual se ha registrado un mayor interés, un conocimiento más profundo de la Liturgia y el deseo de una ulterior simplificación. Varias propuestas presentadas por la Conferencias Episcopales, por obispos, sacerdotes y fieles han sido acogidas en la « Segunda Instrucción » de la S. Congregación de Ritos y del « Consilium », del día 4 de mayo de 1967. Sin tocar los libros litúrgicos vigentes, la Instrucción introduce algunos improrrogables retoques en las rúbricas, en consonancia con la futura reforma general. La Instrucción comprende 28 artículos. A cada uno de ellos sigue un breve comentario que ilustra los motivos que han determinado las nuevas normas e indica las perspectivas futuras.

Variationes in Ordinem Missae inducendae (pp. 195-211).

Para facilitar la aplicación uniforme y concorde de las normas de la « Segunda Instrucción » referentes a la Misa, la S. Congregación de Ritos y el « Consilium » han preparado la edición oficial de las partes del *Ordo Missae* afectadas por la Instrucción. Se reproduce el texto del *Ordo Missae* del año 1965 y, en frente, el nuevo texto oficial. En los números no citados, quedan plenamente en vigor las rúbricas del año 1965.

Actividad de las Conferencias Episcopales (pp. 218-222).

U. S. A. La Comisión Episcopal de Liturgia ha emanado algunas normas sobre la celebración de la Misa en determinados ambientes fuera de la iglesia y para el desarrollo de la música sacra de conformidad con la *Declaración* de la S. Congregación de Ritos y del « Consilium » del día 29 de diciembre de 1966.

Suiza. De acuerdo con la futura reforma general de la Misa, los Obispos de Suiza han obtenido que durante los meses veraniegos la « benedictio tempestatis », tradicional en algunas comarcas de lengua alemana, substituya la bendición final de la Misa.

Noticias (pp. 223-224).

— La Comisión litúrgica de los Estados Unidos ha asumido un nuevo nombre que indica mejor su naturaleza y finalidades.

— Congresos y semanas litúrgico-musicales en Italia y en los Estados Unidos.

Sacra Congregatio Rituum

INSTRUCTIO ALTERA

AD EXSECUTIONEM CONSTITUTIONIS DE SACRA LITURGIA RECTE ORDINANDAM

Die 7 martii 1965 vigere incipiebat instauratio liturgica, statuta per Instructionem (primam) ad exsecutionem Constitutionis de sacra Liturgia recte ordinandam, diei 26 sept. 1964.

His duobus annis huiusmodi instauratio valde progressit apud clerum et apud fideles: liturgicarum rerum cognitio aestimatione succrevit; et fere ubique fideles Liturgiam plene participant, iuxta normas per primam Instructionem editas, et iam primos fructus conspiciere fas est.

Eodem autem tempore crebriores factae sunt petitiones ex parte Conferentiarum Episcopaliurn, singulorum Episcoporum, sacerdotum aut fidelium, ut quaedam caeremoniae dubiae saltem originis vel significationis vel aperte superfluae vel hodiernae mentalitati absonae, abolerentur ita ut finis pastoralis participationis efficacius et facilius obtineri valeret.

Ex his animadversionibus et desideriis orta est Instructio altera, quae ab omnibus, praesertim clericis, exultanti animo ubique accepta est.

Commentarium quod sequitur, exaratum a quorundam « Consilii » sodalibus (C. Braga, L. Trimeloni, G. Pasqualetti) satagit litteram et spiritum documenti praebere, necnon illud ad mentem instaurationis progredientis ostendere.

Tres abhinc annos, per Instructionem *Inter Oecumenici*, ab hac sacra Rituum Congregatione die 26 septembris 1964 datam, variae accommodationes, in sacros ritus inducendae, statutae fuerunt, quae veluti primitiae generalis Liturgiae instaurationis, a Constitutione conciliari de sacra Liturgia praevisae, die 7 martii 1965 vigere coeperunt.

Quam copiosi fructus inde colligi coepti sint, satis e pluribus Episcoporum relationibus elucet, quibus constat auctam ubique gentium magisque consciam et actuosam evasisse christifidelium sacrae Liturgiae participationem, praesertim vero sacrosancto Missae Sacrificio.

Ad hanc vero participationem augendam atque ad ipsorum rituum, Missae praesertim, pleniorern perspicuitatem et intelligentiam comparandas, iidem Episcopi nonnullas alias proposuerunt accommodationes,

quae quidem ad « Consilium ad exsequendam Constitutionem de sacra Liturgia » prius delatae, ab eodem Consilio et ab hac sacra Rituum Congregatione probe examinatae et perpensae fuerunt.

Quamvis igitur non omnia quae proponebantur nunc saltem admitti possint, nonnulla tamen, quae pastoralis ratione commendantur et futurae ac definitivae instaurationi liturgicae obstare non videntur, statim in praxim deduci posse visa sunt, utpote quae ad ipsam liturgicam instaurationem progressive inducendam utilia censeantur, quaeque ex alia parte per rubricales dispositiones, firmis manentibus actualibus liturgicis libris, applicari possint.

Hac vero oblata occasione necessarium videtur in mentem omnium revocare capitale illud ecclesiasticae disciplinae principium etiam a Constitutione de sacra Liturgia sollemniter confirmatum, scilicet: « Sacrae Liturgiae moderatio ab Ecclesiae auctoritate unice pendet ... Quapropter nemo omnino alius, etiamsi sit sacerdos, quidquam proprio Marte in Liturgia addat, demat, aut mutet » (*Const. de sacra Liturgia*, art. 22, §§ 1 et 3).

Ordinarii igitur, sive locorum sive religiosorum, memores sint gravis sui muneris coram Domino sedulo advigilandi ut huiusmodi lex, tanti momenti in Ecclesiae institutis et vita, adamussim servetur. Sed et sacrorum administri omnes cunctique fideles velint huic necessariae normae libenti animo sese conformare.

Hoc enim exigit sive singulorum aedificatio atque bonum spirituale; sive harmonica in Domino conspiratio et mutuuum exemplum in bonum inter fideles eiusdem congregationis localis; sive denique grave officium, quod singulis communitatibus incumbit, cooperandi ad bonum Ecclesiae per totum orbem diffusae, praesertim hodiernis in adiunctis quibus id quod boni aut mali in communitatibus localibus evenit cito in universam familiae Dei compaginem redundat.

Omnes ergo monitionem Apostoli considerent: « Non enim est disensionis Deus, sed pacis » (1 Cor. 14, 33).

Ut autem liturgica instauratio pressius ad rem deducatur et progressive procedat, sequentes accommodationes et variationes statuuntur.

I. DE MISSAE FORMULIS ELIGENDIS

1. Extra tempus quadragesimale, diebus III classis, dici potest sive Missa de Officio diei, sive Missa de commemoratione in Laudibus facta. In hac Missa adhiberi potest color Officii diei, ad normam n. 323 Codicis rubricarum.

Haec concessio extendit quod a n. 323 Codicis rubricarum iam statutum est; Missam Officii in Laudibus commemorati dicere licebat tantum diebus IV classis; nunc, extra Quadragesimam, dici potest etiam diebus III classis. Ita, vi huius concessionis nunc dici potest Missa alicuius martyris, quae antea die suo numquam celebrari poterat; v. g. die 22 septembris loco Missae S. Thomae de Villanova dici potest Missa Ss. Mauritii et Soc. Mm. Item, tempore Adventus Missa feriae adhiberi valet etiam diebus quibus occurrit festum III classis et recte quidem: nam Missae temporis Adventus perpulchrae sunt, et eorum celebratio multum prodest ad huius temporis notas exprimendas.

Immo, in instauratione liturgica, probabiliter singulae feriae ditabuntur propriis orationibus, nec excluditur possibilitas dotandi ferias Adventus propriis integris formulariis Missarum.

De cetero, lectionarium feriale iam praebet aptissimam selectionem et collectionem pericoparum pro lectionibus.

Praeter auctas divitias euchologicas ac spiritualis alimenti pro vita christiana, haud parvipendendum est commodum alterum, quod exhoritur ex supradicta concessione, nempe amplior libertas, rationabilibus limitibus contenta, in cultu sanctorum vel in formulariis Missarum seligendis. Quae libertas melius respondet exigentiis spiritualibus animarum, et spiritui instaurationis liturgicae.

In Missa Officii ad Laudes commemorati adhiberi potest vel *color proprius* (quod melius est) vel *color Officii diei*. Rubricarum Codex hoc concesserat pro Missis votivis IV classis; nunc colore Officii diei celebrari potest etiam Missa de Officio in Laudibus commemorato. Hoc concessum est ob incommodum quod practice oriri potest si sacrae vestes diversi coloris apparandae essent vel si sacerdos paramenta alius coloris peteret.

Attamen semper color proprius adhibendus est in Missis votivis I, II et III classis, necnon in Missis defunctorum. Praeterea Missae festivae et votivae numquam colore violaceo celebrari possunt.

Missa alicuius sancti in Laudibus commemorati cum *Gloria* celebranda est.

2. Ordo lectionum per ferias, si a Conferentia Episcopali propriae Dicionis admittitur in Missis cum populo, adhiberi potest etiam in Missis quae sine populo celebrantur; quo in casu lingua vernacula pro lectionibus permittitur.

Huiusmodi autem Ordo lectionum per ferias assumitur quibusdam diebus II classis, qui in ipso lectionario indicantur, et in omnibus Missis

III et IV classis sive de tempore, sive de Sanctis, sive votivis quae lectiones stricte proprias non habent, idest lectiones in quibus mentio fiat mysterii vel personae quae celebrantur.

Lectionarium feriale adhiberi potest non tantum in Missis cum populo sed etiam in Missis « privatim » celebratis. Lectorum varietas non tantum fidelium sed etiam sacerdotis pietatem alit. Repetitio lectionum dominicae praecedentis vel Communium taedium affert. In huiusmodi Missis lingua latina celebratis adhiberi potest lectionarium a coetu Episcoporum lingua vernacula exaratum.

Lectionarium feriale pericopas habet etiam pro quibusdam feriis II classis, ex. gr. pro feriis Adventus a die 17 ad diem 23 decembris. Utiq̃ue, sunt dies II classis sed stricte pertinent ad *Proprium de tempore* et congruum erat ipsas ditari propriis lectionibus; instauratio liturgica absque dubio illas donabit propriis Missis.

Inter festa III classis et commemorationes, Epistola vel Evangelio stricte proprio gaudent ea quae sequuntur: S. Timothei E. M. (24 ian.), Conversionis S. Pauli Ap. (25 ian.), Apparitionis B. M. V. Immaculatae (11 febr.), S. Gabrielis Arch. (24 martii), Dolorum B. M. V. (feria VI post dom. I Passionis), S. Barnabae Ap. (11 iun.), Commemorationis S. Pauli Ap. (30 iun.), B. M. V. de Monte Carmelo (16 iul.), S. Mariae Magdalenae (22 iul.), S. Marthae Virg. (29 iul.), Decollationis S. Ioannis Bapt. (29 aug.), Ss. Angelorum Custodum (2 oct.), S. Raphaëlis Arch. (24 oct.).

Si Missae Epistola tantum vel Evangelium tantum esset stricte proprium, utraque lectio e Missali sumitur.

Lectionarium feriale adhiberi potest etiam in Missis S. Mariae in sabbato; nam huiusmodi Missae quasi peculiare Commune efficiunt.

3. In feriis per annum, quando resumitur Missa dominicae praecedentis, loco orationum dominicae, sumi possunt: aut una ex orationibus ad diversa, quae in Missali recensentur, aut orationes unius e Missis votivis ad diversa in Missali exstantibus.

Agitur de nobili solutione ad vitandam quamdam depauperationem, quae exoriri posset ex quibusdam normis simplificationis liturgicae. Nam: a) Commemorationes eliminantur (cf. n. 4); b) collectae imperatae pariter fere eliminantur (cf. n. 6); c) Missae votivae praesertim defunctorum non amplius amantur sicut anteactis temporibus.

Missae de tempore, in feriis per hebdomadam, adhiberi praeferuntur. Sed tunc aliud exsurgit incommodum. Etiam formularia dominicarum, saepius repetita, assuescunt.

Lectiones per ferias huic incommodo primum remedium attulerunt; praesens concessio alterum remedium affert; ex formulariis dominicalibus nihil aliud remanet quam cantus processionales et interlectionales, qui, ex se, praecipue in dominicis per annum, sunt « incolores », et faciliter aptari possunt ad varios sensus exprimendos. Ita, novus fons aquae salientis aperitur ad sacerdotis et plebis sanctae Dei pietatem alendam. Schemata orationum « ad diversa » sunt in Missali 35; Missae votivae haud paucae: in utraque sectione formulae inveniuntur pulcherrimae et ditissimae. Sacerdotes bonae voluntatis novum hic habent medium quo fideles liturgicis divitiis alantur. Etsi systema non faveat usui parvorum missalium, sufficit ut sacerdos Missam diei paucis verbis liturgico fidelium coetui praesentet et orationes ac lectiones lente, apte, aperte, pleno sensu et fervida fide pronuntiet et proclamet; et tota congregata plebs in liturgicam celebrationem laetanter et fructuose ingreditur. In actione, verbo et opere celebrantis plerumque sistit secretum efficacitatis pastoralis celebrationis liturgicae.

II. DE ORATIONIBUS IN MISSA

4. In Missa unica dicatur oratio. Attamen, sub unica conclusione cum oratione Missae, additur iuxta rubricas:

a) — oratio ritualis (CR n. 447);
— oratio Missae votivae impeditae in professione religiosorum vel religiosarum sodalium (Rubr. spec. Missalis);
— oratio Missae votivae impeditae « Pro sponsis » (CR n. 380);

b) — oratio in Missa votiva pro gratiarum actione (CR n. 382 et rubr. spec. Missalis);
— oratio in anniversariis Summi Pontificis et Episcopi (CR nn. 449-450);
— oratio in anniversario propriae ordinationis sacerdotalis (CR nn. 451-452).

5. Si plures in eadem Missa addendae essent orationes sub unica conclusione, una tantum additur, celebrationi magis propria.

Desiderium unicam habendi orationem in Missa, praesertim si cum populo celebratur, ex quadam exigentia psychologica originem ducit. Etenim « collecta », quae a celebrante post pausam « sacri silentii » pronuntiatur, in unum colligit intentiones et sensus totius

coetus orantis: et hoc sufficit, quin aliud addatur, aut in petendo a Domino invocetur intercessio alterius Sancti. Datur insuper alia difficultas eiusdem ordinis, bis repetendi longam formulam conclusionis, praesertim si lingua vernacula adhibetur.

Prima in numero orationum simplificatio facta est anno 1955, cum ablatae sunt orationes pro diversitate temporum dicendae, atque multiplices commemorationes ex octavis aut vigiliis faciendae. Anno 1960, numerus ternarius, uti maximus, statutus est, nulla ex ratione superandus. Usus linguae vernaculae ulteriorem simplificationem opportunam indicavit, quae praesenti Instructione statuitur.

Perpaucis ergo occasionibus Missa duas habebit orationes, at simul sub unica conclusione dicendas. Quaedam ex orationibus addendis sunt praeceptivae, prouti orationes rituales, idest quae nexum habent cum peculiari aliquo ritu qui cum Missa directe connectitur aut illi inseritur (v. gr. sacrae ordinationes, benedictiones aliquae sollemnes: Abbatis, Abbatissae, Virginum; celebratio matrimonii, etc.) aut anniversaria quaedam speciali mentione digna memorant in Ecclesia universali aut particulari (electionis Summi Pontificis aut Episcopi). Aliae vero sunt ad libitum, utpote quae intentiones magis particulares respiciant (professiones religiosas, anniversarium propriae ordinationis).

Casus qui in Instructione numerantur sunt taxativi. Omnes aliae orationes aut commemorationes, quae hic non elenchantur, censendae sunt suppressae. Inter eas, quae maioris notae usque nunc habebantur, occurrunt etiam commemorationes dominicae aut feriae privilegiatae (Adventus et Quadragesimae), commemoratio « inseparabilis » S. Pauli in Missa S. Petri, et vicissim, oratio de SS.mo Sacramento durante expositione, festi de quo fit sollemnitas externa impedita. Oratio tamen « super populum », quae in Quadragesima additur postcommunione, non abrogatur: est enim elementum per se stans; quod numquam inter orationes Missae, ad numerum earum quod spectat, consideratum est.

Commemorationibus tamen in Missa sublati, memoria sanctorum retinetur adhuc in Officio. Insuper facultas datur elegendi inter Missam de Officio diei et Missam de commemoratione ad Laudes occurrente: unde cultus Sanctorum non tantum non excluditur, sed magis amabilis, utpote magis spontaneus, redditur.

Peculiares aliquae orationes pro quibusdam necessitatibus, ex. gr. pro Missionibus, locum suum optime accipiunt, alia quidem forma, inter intentiones orationis fidelium.

Etiam orationes votivae, quas feriis IV classis addere licebat pro sacerdotis pietate, modo vividiori in Missam inseruntur, data facultate eas adhibendi tamquam orationes Missae, quando in feriis

IV classis resumitur Missa dominicae praecedentis. Hoc modo, formulae pro pietate utiles non amplius sepultae manebunt in Missali, sed partem vivam constituent euchologiae Ecclesiae, et colorem peculiarem tribuere poterunt celebrationi coetus paroecialis, diversitatem intentionum et formularum praebendo, praevia opportuna catechesi ex parte pastorum.

6. Loco orationis imperatae, Episcopus potest unam alteramve intentionem pro peculiaribus necessitatibus orationi fidelium inserere.

Item, decreto Conferentiae Episcopalis, eidem orationi fidelium inseri possunt preces, quae pro reipublicae moderatoribus diversis in locis diversimode fieri imperantur, necnon peculiare intentiones pro necessitatibus ad universam nationem vel regionem spectantibus.

Ex lege unius tantum orationis dicendae in Missa, locus amplius non datur collectae ab Episcopo imperatae. Restrictionibus quoad numerum et quoad dies anno 1960 positus, nunc huiusmodi oratio omnino aufertur. At validis rationibus, cum alio modo, et quidem efficaciori, substituatur novo elemento, quod Concilium induxit. Etenim locus proprius preces pro necessitatibus aut generalibus Ecclesiae et mundi aut particularibus alicuius regionis, loci aut coetus fidelium fit in oratione universali, quae concludit liturgiam verbi, quamque universus coetus fidelium participat. Ceterum huiusmodi agendi ratio a pluribus Episcopis in usum iam inducta fuerat cum vera utilitate pastoralis.

Eodem modo ordinantur aliae peculiare formulae preces pro reipublicae moderatoribus quae, diversis in locis diversisque rationibus imperantur et ordinantur. In genere agitur de formulis quae legibus concordatoriis inter Statum et Ecclesiam praevidentur, dicendae aut per aliquam antiphonam, versum et orationem in fine Missae aut alterius Officii; aut per aliquod speciale comma addendum in fine collectae aut etiam trium orationum Missae. His formis, precatio manebat potius quid clericale, a choralibus aut a solo sacerdote celebrante recitatum.

Recte igitur statuitur ut Conferentiae Episcopales decernere possint, ut huiusmodi formae substituuntur per alias, magis vivas atque menti hominum huius temporis magis respondentes, et in seriem intentionum orationis fidelium inserantur, quo fideles facilius et clarius valeant hanc preces participare.

Aliae intentiones, ad aliquam regionem vel ad universam nationem spectantes, eodem modo reguntur ac intentiones, quae collectam ab Ordinario loci imperatam substituunt.

III. DE QUIBUSDAM VARIATIONIBUS IN ORDINE MISSAE

7. Celebrans genuflectit tantum:

a) cum accedit ad altare et ab eo recedit, si adest tabernaculum cum sanctissimo Sacramento;

b) post elevationem hostiae et post elevationem calicis;

c) in fine Canonis, post doxologiam;

d) ante Communionem, priusquam dicat *Panem caelestem accipiam*;

e) expleta Communione fidelium, postquam hostias, quae forte superfuerint, in tabernaculo recondiderit.

Reliquae genuflexiones omittuntur.

Variationes, quae proponuntur in Ordine Missae, naturae rubricalis et caeremonialis sunt. Attamen eorum momentum magni est faciendum, cum eo tendant, ut actionem liturgicam non tantum expeditiorem sed praesertim clariorem reddant. Etenim maxima earum pars, genuflexiones, signa crucis, oscula altaris, in Canone inveniebantur. Ex his autem magna prex eucharistica, imprimis cum dicitur elata voce, prouti experientia concelebrationis testatur, plurimis elementis gravatur, quae eius unitatem frangunt, verba et locutiones indebite rumpunt ut cum gestibus componantur, atque cum celebratio fit versus populum minus congruunt cum gravitate, quae momento et sollemnitati totius huius actionis conveniunt.

Ratio hodierna genuflectendi praevidet ut gestus huiusmodi venerationis habeatur cum sacerdos vel minister aliquis ad altare accedit et ab eo recedit, cum ante illud transit, cum Sacramentum tangit.

Sed si gestus in universa celebratione consideratur, aliquomodo aggravat rationem procedendi, praesertim a consecratione usque ad communionem.

Ex nova dispositione numerus genuflexionum sat notabiliter reducitur. Quae remanent a consecratione ad communionem, vim habent notandi aliquod momentum celebrationis, et transitum ab una ad aliam partem. Etenim genuflectitur: statim post quamlibet consecrationem et ostensionem sacrarum specierum; antequam, expleto Canone, transitus fiat ad ritus qui praeparant ad communionem; antequam ipsa communio (cuius ritus tamquam unicus efficitur) sumatur tum a celebrante tum a fidelibus; et post expletam communionem, cum Sacramentum (si particulae superfuerint) recondatur.

Certe manent genuflexiones faciendae cum quis ante Sacramentum transit. Attamen, durante celebratione, plures genuflexiones faciendae a ministris, ex. gr. recedendo ab una parte et accedendo ad aliam partem altaris, suppressae censendae sunt: sufficiet ut una vice genuflectant, cum ante medium altaris transeunt.

Eadem ratione agendum erit in aliis celebrationibus extra Missam.

8. Celebrans osculatur altare solummodo initio Missae, cum dicit orationem *Oramus te, Domine*; aut cum ad altare accedit, si preces ad gradus altaris omittuntur; et in fine Missae, antequam populo benedicat et illum dimittat.

Cetera oscula altaris omittuntur.

Osculum altaris est signum traditum venerationis ipsius, initio et in fine actionis sacrae. Invenitur in liturgiis orientalibus apud Byzantinos, Armenos, Syros occidentales. In liturgia romana, osculum altaris initio celebrationis eucharisticae testatur *Ordo Romanus I* ex parte diaconorum et ipsius Pontificis, postquam hic codicem Evangeliorum osculatus est (n. 51). Altare enim, inde a S. Ambrosio habetur uti « forma corporis Christi » (*De Sacram.* 5, 2, 7). Media tamen aetate, osculum altaris initio celebrationis visum est veluti signum honoris reliquiis martyrum tributum, quae in altari includuntur. Immo osculorum multiplicatio decursu celebrationis vim et significationem osculi initio dati obscurat. Reliqua enim oscula altaris coniunguntur cum aliqua salutatione: unum excipitur, quod in oratione *Supplices* occurrit, quodque est signum venerationis altaris terreni, figurae altaris caelestis, super quod ab Angelo sacrificii deferenda est oblatio Ecclesiae.

Novis ex normis, duo tantum remanent oscula altaris: initio et in fine totius celebrationis, ita ut clarius appareat vera significatio actus venerationis.

Initio Missae, osculum altari datur, cum ad altare ascenditur post preces initiales; in fine vero osculum datur antequam celebrans, expleta oratione post communionem, vertat se ad benedicendum populo illumque dimittendum. Cum celebratio fit ad altare versus populum, magis perspicuum esset osculum altaris in fine totius celebrationis, quando, populo dimisso, ipse celebrans altare relinquit. At huiusmodi agendi ratio requireret, in altari versus parietem posito, ut celebrans iterum se verteret ad altare. *Variationes* proinde praetulerunt unam normam statuere, ponendo osculum altaris ante benedictionem populi.

9. Ad offertorium, post oblationem panis et vini, celebrans deponit patenam cum hostia et calicem super corporale, omissis signis crucis cum patena et cum calice.

Patena, hostia desuper posita, super corporale relinquitur sive ante sive post consecrationem.

Ritus offertorii, a simplicitate gestus primaevi, qui unice sibi proponebant deponere super mensam altaris elementa pro sacrificio, paulatim succreverunt gestibus et formulis usque ad formam hodiernam. Reformationes usque adhuc peractae unius alteriusve partis Missae numquam attigerunt partem offertorii, utpote quae magis quam aliae profundiore indigeat aptatione, praesertim ad formulas quod attinet oblationem comitantes. Etiam hodierna *Instructio* nihil mutat de ritu offertorii, nisi auferendo signa crucis, quae fiebant in deponendis oblatis super altare.

Remanent ergo signa crucis super ampullam aquae in oratione *Deus, qui humanae substantiae*, et super oblata ad invocationem *Veni, sanctificator*.

Testimonia signorum crucis cum oblatis tardiora sunt, cum inveniantur tantummodo, pro calice, in aliquo Missali Casinensi saec. X (cf. A. EBNER, *Iter italicum*, p. 309); et, pro hostia, in Rationali Durandi Mimatensis (IV, cap. 30, n. 17), cum explicatione allegorica, quae in memoriam revocat nexum huius gestus cum oblatione Christi in cruce peracta.

Alia mutatio respicit usum patenae, quae deinceps hostiam sustentabit toto tempore, ab offertorio usque ad communionem. Antiquitus, ut omnes norunt, patena ab acolytho, postea a subdiacono, auferebatur ex altari oblatione peracta, ne, ob magnitudinem formae, impedimento esset durante Canone, et iterum ad altare afferebatur ante fractionem. Qui usus, alia quidem forma, mansit usque cum, anno 1964, abrogatus est mos ut subdiaconus patenam extra altare sustentaret ab offertorio usque ad orationem dominicam.

Nunc autem cum patena maneat super altare, magis consentaneum videtur ut usui ipsi quodammodo nativo restituatur, sustentandi scilicet panem tum ante tum post consecrationem. Quod faciliores et expeditiores reddet alios gestus, cum amplius necessarium non evadat fragmenta super corporale colligere, nisi hostiae habeantur pro communione fidelium extra pyxidem positae.

Desiderium huiusmodi pluries a multis manifestatum erat.

10. In Missis cum populo, etiam non concelebratis, licet sacerdoti celebranti Canonem, pro opportunitate, intellegibili voce proferre. In

Missis autem in cantu licet ei illas partes Canonis cantare, quae, iuxta Ritus servandum in concelebratione Missae, cantari possunt.

Usus proferendi precem eucharisticam secreto non ascendit certe ad originem ipsius precis, neque cum eius natura connectitur. Sufficiat testimonium *Iustini* in mentem revocare de hac gratiarum actione, cui populus, postquam audivit, respondet acclamando: *Amen*. Romae, saec. VIII, iuxta testimonium *Ordinis I* (n. 88) Canon adhuc dicitur voce elata, immo cum aliqua modulatione, aut saltem, iuxta *Ordinem XV* (n. 39) ut « a circumstantibus altare tantum audiat » . Saec. IX, opus quod inscribitur *Expositio Missae Romanae* iam praecipit recitationem in silentio: « Facto magno circumquaque silentio, incipit iam sacerdos hostiam consecrare...; ideo semper in silentio arbitror celebrari, quia S. Spiritus in eis manens, eorundem sacramentorum latenter operatur effectum » (cf. *DACL*, V, 1021). Quod, saec. X, recipit et *Ordo V* (n. 58): « surgit solus Pontifex et tacite intrat in canonem ».

De huiusmodi agendi ratione non unam, decursu saeculorum, periti conati sunt praebere explicationem, agendo argumentis tum historia, tum allegoria, tum convenientia suffultis, quae veram interpretationem facti certo numquam praebuerunt. Ex hoc tamen evenit ut, usque ad S. Pium X, interpretationes populares Canonis Missae numquam pacifice, immo non sine interventionibus valde duris auctoritatis id prohibentis, evulgari potuerint (Cf M. RIGHETTI, *Storia liturgica*, vol. III, La Messa, ed. 3, Milano 1966, pp. 345-350).

Quaestio de recitatione Canonis voce intellegibili facta iterum consideranda fuit, cum instaurata est concelebratio. Ex hoc modo precem eucharisticam proferendi, immo ex cantu eius partium praecipuarum, utilitas pastoralis apparuit eam habitualiter proferendi voce elata, quo facilius coetus fidelium eam participare posset.

Facultas quae hodie fit valde opportuna videtur, praesertim si cum alia facultate sociatur eandem precem eucharisticam proferendi lingua vernacula. Persentiebatur enim aliqualis incongrua abruptio cum, post primam partem celebrationis in qua participatio per cantum, preces, auditionem verbi Dei valde actiosa permanerat, transitus fiebat ad Canonem totum voce submissa prolatum. Immo fatendum est incongruum esse fideles partem praecipuam totius celebrationis celare, cum eius introductio (*praefatio*) atque conclusio (*doxologia*) sollemniter cani possunt.

Recitatio tamen precis eucharisticae non fit praeceptiva: consulitur *pro opportunitate*. Quae opportunitas non respicit tantummodo, neque praecipue, sacerdotem celebrantem, qui tam longa

declamatione fatigari posset; sed primo coetum ipsum fidelium. Sunt enim coetus, qui non satis parati censendi sunt ad tam amplam precem audiendam, praesertim si lingua latina profertur. Prae oculis habeantur coetus puerorum, gentium minus cultarum: antequam hunc textum ex abrupto audiant, necessario manuducendi sunt ad illum intellegendum, quo plenius illum, in silentio audiendo, participant.

Data insuper hac facultate, quaeri potest num, opportunitate statuta Canonem voce intellegibili proferendi, expediat illum semper et totum hoc modo proferre. Quod *semper* fieri debeat, certe praecipi non potest, cum facultas sit facta pro opportunitate: nam in uno eodemque coetu diversitas formarum celebrationis magni facienda est. Item argui nequit quod Canon debeat semper *ex toto* voce intellegibili pofferri. Partes enim quibus Canon romanus constat non unius sunt valoris: quod in luce ponitur etiam per usum in concelebratione assumptum, quasdam tantum, idest quae revera maioris sunt momenti, cantu proferendi. Nihil ergo obstare putamus si una vice tota prex eucharistica voce intellegibili profertur, alia vero in sua parte centrali tantummodo. Fideles, si bene edocti fuerint, de hac agendi ratione non mirabuntur. Ceterum valde expedire videtur diversitati tum formarum tum celebrationis tum ipsorum coetuum qui Eucharistiam participant.

Quis forsam aliquod taedium timere posset ex cotidiana recitatione eiusdem precis, invariabilis in omnibus Missis. Huic tamen timori obviabitur certe cum, instauratione peracta, etiam liturgia romana non una tantum fruetur formula precis eucharisticae, quibus diversi aspectus ditissimae theologiae eucharisticae fidelibus, et ipsi sacerdoti celebranti, offerri poterunt.

Ne quis autem putet, ex concessione proferendi Canonem voce intellegibili, facultatem etiam derivare proferendi eodem modo omnes preces quae in Ordine Missae occurrunt dicendae secreto. Diversa enim est natura et finis utriusque: Canon est prex quae nomine totius coetus a sacerdote profertur, convenit ergo ut ab omnibus audiatur; aliae autem preces sunt characteris potius « privati » ipsius celebrantis, uti v. gr. *Munda cor meum*, orationes ad offertorium, ad communionem, etc.; et ideo manent etiam in forma recitationis ipsi sacerdoti celebranti reservatae.

11. In Canone, celebrans:

a) *Te igitur incipit* erectus et manibus extensis;

b) unicum signum crucis facit super oblata, ad verba *benedicas* ☩ *haec dona, haec munera, haec sancta sacrificia illibata*, in oratione *Te igitur*. Cetera signa crucis super oblata omittuntur.

Signa crucis super oblata gestum magis evidentem in Canone romano constituunt post ostensionem sacrarum specierum, attento praesertim eorum numero. Usus tamen apparet tantummodo inde a saec. VIII, neque pro omnibus simul. Antiquior series apparet in *Regin.* 316 ad verba *bene ✠ dicas haec ✠ dona, haec ✠ munera, haec ✠ sancta sacrificia* (quattuor ergo, cum habeatur signum crucis etiam ad verbum *benedicas*) simul cum alia serie ad verba *sanc-ti ✠ ficas, vivi ✠ ficas, bene ✠ dicis ad Per quem*. Cetera saeculis subsequentibus paulatim apparent, connexa plerumque cum verbis quae sensum benedictionis aut indicationis oblatorum prae se ferunt. Ultimum invenitur (saec. XII) signum crucis, quod celebrans super seipsum perficit in oratione *Supplices* ad verba *omni benedictione caelesti et gratia repleamur*.

Quinam sit sensus horum signorum non parum disputatum est inter cultores scientiae liturgicae. Ea quae consecrationem praecedunt facilius uti gestus invocativus benedictionis accepta sunt, cum connectantur cum verbis *benedicere* (in *Te igitur*) et *benedictam* (in *Quam oblationem*); numerus autem eorum ternarius hisce in casibus probabilius cum notione numeri sacri coniungitur. Hac eadem notione, idest gestus benedictionis, intellegendum est etiam signum crucis ad verbum *benedixit* in narratione institutionis, quamvis hoc in casu appositio signi crucis sit quid mere materiale, connexum cum sono litterali verbi: nam in contextu verbum *benedicere* idem est ac gratias Deo agere pro hoc elemento, illud Deo hoc modo sacrandum.

Maiorem difficultatem semper genuerunt signa crucis super oblata post consecrationem. Ipse Innocentius III (*De sacro altaris mysterio*, V, 2) confitetur se nescire eorum significationem. Immo in Concilio Tridentino Patres non defuerunt qui illorum suppressionem optaverint.

S. Thomas (*Summa theol.* III, q. 85, ad 5) in ipsis videt signa commemorativa passionis Domini, fontem omnium bonorum.

Plures tamen alii eadem signa crucis habent tantum uti gestus demonstrativos, inductos ex more oratorio, ad maiorem evidentiam dandam quibusdam locutionibus.

In uno omnes hodie concordant, idest in tribuenda significatione benedictionis fructuum pro signis crucis ad *Per quem haec omnia*.

Solutio hodiernae Instructionis retinet tantummodo primum et unicum signum crucis, ad verba *benedicas ✠ haec dona, haec munera, haec sancta sacrificia illibata*, ita tamen faciendum ut non connectatur cum verbo *benedicas* illud abrumpendo, sed, forma

ampliori factum, ad integram locutionem extendatur, et peragatur opportuna gravitate.

Suppressis signis crucis in quibusdam formulis, dubium oriri poterat de modo se gerendi. *Variationes* in Ordine Missae praevident:

a) *Quam oblationem* dicitur manibus iunctis. Est formula epicleseos romanae: gestus modo naturali illam concomitans esset expansio manuum super oblata, sicuti hodie fit ad *Hanc igitur*. Instauratio Ordinis Missae hanc connexionem gestus cum verbis probabilius efficit; pro nunc ergo assumitur solutio dicendi hanc formulam manibus iunctis; etiam ratione practica, ne gestus quibus manus iunguntur et extenduntur plus aequo multiplicentur.

b) In narratione institutionis, manibus tenentur hostia aut calix, et quidem ambabus manibus iam ab initio, quin calix statim deponatur ad signum crucis peragendum, et postea resumatur ante verba consecrationis.

c) In *Unde et memores* manus extensae habentur per totam orationem.

d) In oratione *Supplices* manet inclinatio in prima parte, utpote consentanea naturae huius orationis. Sublatis tamen osculo altaris et signis crucis super hostiam et super calicem, celebrans erigit se post verba *Corpus et Sanguinem sumpserimus*, ut signum crucis super se perficiat.

e) *Per quem* dicitur manibus iunctis.

Usque nunc actum est de signis crucis *super oblata* in Canone. Extra Canonem exstat signum crucis in oratione *Veni, sanctificator*: hoc signum servatur.

Sunt tamen et alia signa crucis *cum oblatis*. Ex his Instructio suppressit ea quae fiunt cum hostia et cum calice super corporale post eorum oblationem, necnon ea quae fiunt ante communionem sacerdotis cum hostia et calice. Ad apicem litterae manere deberent tria signa crucis, quae fiunt cum particula hostiae super calicem ante immixtionem. Attenta vero mente totius simplificationis, consentaneum erat ut etiam haec supprimerentur, tum quia cum verbis quibus adhaerebant non necessario connectebantur, tum quia ipsam locutionem, in qua inseruntur, facilius modo non naturali abrumpebant: quod factum est in *Variationibus* ad Ordinem Missae, universum ritum fractionis modo magis congruo disponendo per separationem ipsius fractionis a verbis conclusionis embolismi. Attamen bene advertendum est non omnia elementa

huius partis esse modo definitivo ordinata, cum salutatio ad pacem separanda sit ab immixtione, et ipsa fractio potius dum cantatur *Agnus Dei* sit peragenda. His omnibus providebit instauratio definitiva.

His ergo variationibus derivantibus ex suppressione signorum crucis super oblata et plurium genuflexionum, magna prex eucharistica sua lineari gravitate apparet, maiestate plena tum ex facultate eam integre proferendi voce intellegibili sicut praefatio et doxologia, tum gestibus sacerdotis, qui fere integre manibus extensis eam profert, his tantum gestibus additis, qui revera cum verbis congruunt eamque pleniore in luce ponunt.

12. Post consecrationem, celebranti licet pollices et indices non coniungere; si vero aliquod fragmentum hostiae digitis adhaeserit, digitos super patenam abstergat.

Usus non disiungendi pollices et indices a consecratione usque ad peractas ablutiones e sollicitudine provenerat vitandi ne aliquod fragmentum hostiae, digitis forte adhaerens deperderetur. Negan-dum tamen non est nimiam esse hanc sollicitudinem, cum ex hostia bene praeparata pauca revera fragmenta separentur, et cum ru-bricae sedulo praevideant ut quoties tangitur Sacramentum digiti semper super calicem abstergantur. Ceterum manere digitis hoc modo coniunctis non parvum incommodum gignit in tractandis calice aut pyxide.

Gestus vero habendi manus extensas pulchrior apparet si manus sua forma et dispositione naturali retinetur.

13. Ritus communionis sacerdotis et fidelium hoc modo ordinetur: postquam dixit *Panem caelestem accipiam*, celebrans accipit hostiam et, stans ad populum conversus, eam elevat, dicens: *Ecce Agnus Dei*, ac ter subdit, una cum fidelibus, *Domine, non sum dignus*. Communicat postea se ipse, omissis signis crucis, cum hostia et calice; ac statim communionem de more distribuit fidelibus.

Historia ritus communionis, qui hodie in Ordine Missae exstat, facile explicatur ex iuxtapositione ritus communionis celebrantis et ritus communionis fidelium, qui, pro communionem extra Missam confectus, materialiter in Ordinem Missae insertus est. Quo evenit ut duo actus inter se clare distincti haberentur.

Prima solutio huius difficultatis anno 1960 statuta est, quando confessio et absolutio ante communionem fidelium expunctae sunt (CR n. 503).

Nova hac ordinatione ritui communionis vera et authentica unitas restituitur: est enim unica mensa familiae Dei, quam ministri et plebs sancta successive participant. Solutionem quae proponitur, nempe anticipationem invitationis *Ecce Agnus Dei* esse bonam iam comprobavit experientia producta ritus concelebrationis. Totus enim ritus clarior et expeditior evadit.

Accurata descriptio huius ritus, quae in *Variationibus* proponitur, dubia solvit quae prima facie, post lectum textum Instructionis, oriri possent. Proinde: *a*) ostensio Sacramenti fit cum hostia magna sacerdotis celebrantis: nihil enim obstat quod haec hostia fracta sit; immo, ratione signi, aptior esset dicenda: panis enim frangitur ad convivium; *b*) communio fidelium fit post communionem calicis ex parte sacerdotis celebrantis; *c*) si hostiae in eadem Missa non sunt consecratae (quod, iterum *ratione signi* vitandum esset!) pyxis e tabernaculo (omissa genuflexione cum tabernaculum aperitur) extrahitur post communionem calicis, etiam ratione practica, scilicet ne calix debeat removeri ad aperiendum tabernaculum, etc...

Item *Variationes* clare distinguunt casum quo fit communio fidelium et casum quo nullus habetur qui communicet: in priore dicitur *Ecce Agnus Dei*, in altero vero omittitur, cum nulla habeatur ratio proferendi invitationem, cui nemo respondeat. Proinde, altero hoc in casu, omnia fiunt prouti usque nunc praevidebantur, pro communionem unius sacerdotis celebrantis.

14. Fideles qui feria V in Cena Domini, in Missa Chrismatis, sese communicaverint, iterum ad sacram communionem accedere possunt in Missa vespertina eiusdem diei.

Satisfit hac dispositione pluribus petitionibus Episcoporum et fidelium, qui, data facultate anno 1964 bis accedendi ad communionem in nocte et in die tum Nativitatis tum Paschatis, recte optabant ut eadem facultas etiam ad feriam V in Cena Domini extenderetur. Nam usque adhuc Missa chrismatis unica Missa erat pro qua exstabat prohibitio communionem fidelibus distribuendi.

Ratio concessionis eadem est, immo quodammodo fortior, ac pro diebus Nativitatis et Paschatis. Ecclesia duo Officia distincta celebrat, ad quae participanda communitatem fidelium invitat. Plenior autem et perfectior celebrationis eucharisticae participatio habetur sumptione Corporis Domini. Qui ergo utramque celebrationem participant, hoc facere possunt forma et modo perfectioribus.

Non agitur ergo tantummodo de satisfaciendo desiderio eorum

qui Missae in Cena Domini interesse nequeunt; sicut timendum non est periculum ne fideles, hanc Missam participando, Missae in Cena Domini non intersint: Missa chrismatis *una* est in quavis dioecesi.

15. In Missa cum populo, ante postcommunionem, pro opportunitate, vel sacrum silentium per aliquod temporis spatium servari potest vel cani aut dici possunt psalmus aut canticum laudis, e. g. ps. 33 « Benedicam Domino »; ps. 150 « Laudate Dominum in sanctuario eius »; cantica « Benedicite », « Benedictus es ».

Hoc numero lex non imponitur, sed facultas datur experientiam faciendi de utilitate inserendi in Ordinem Missae elementum omnino novum, post expletam communionem, antequam oratio sacerdotalis coetum absolvat.

Quis, textum legendo, facile arguere posset agi de quadam forma gratiarum actionis collectivae post communionem. Non est praecise sensus concessionis. « Sacrum silentium », quod servandum suadetur, est potius elementum precationis personalis, eadem ratione ac illa pausa meditationis sanctissimi Sacramenti, quae sacerdoti celebranti imponitur a rubricis Ordinis Missae post sumptionem Corporis Domini. Item psalmi et cantica, quae proponuntur canenda, sunt psalmi aut cantica *laudis*, prouti ipsa exempla innuunt. Fit ergo quodammodo insertio in celebrationem liturgicam communem elementi pietatis personalis, quo sensus orationis et celebrationis Ecclesiae fiunt proprii unicuique participantium per hoc spatium « sacri silentii » aut per considerationem mirabilium Dei in se et in nobis, pro quibus laudes ipsi tribuuntur.

Facultas haec fit *pro opportunitate*. Coetus enim fidelium ad hoc elementum celebrationis recte accipiendum eoque recte utendum parari debet opportuna catechesi. Neque omnes coetus hoc assequuntur. Fieri enim potest ut coetus valde varius, et post diu protractam communionis distributionem, hanc pausam « sacri silentii » aut hunc alium cantum, post cantum ad communionem, minus bene accipiat. Utilitatis vero non paucae putamus hoc fieri posse pro coetu in se uniformi, pro coetu qui Missam habitualiter participat, etc.

Tempus huius « sacri silentii » non est idem ac brevis pausa, quae alicubi fieri solet inter invitatorium *Oremus* et textum *post-communionis*. In nova ordinatione agitur de pausa aliquatenus protracta, ex. gr. per aliqua momenta, quibus fideles interiorum animi recollectionem colere valeant. Immo nihil impedit quomi-

nus haec pausa fiat omnibus, celebrante non excluso, sedentibus, idest corporis positione, quae huic quieti et meditationi magis convenit. Cantus vero, natura sua, potius stando esset peragendus. Proinde utrumque, sive cantus sive pausa silentii, faciendum est expleta communione, ante *Dominus vobiscum*, qui post-communionem praecedit.

Etsi non agatur de gratiarum actione, prouti intelligitur in ambitu pietatis privatae, hac facultate obviam itur desiderio eorum, qui aliquid petebant ne Missa, sublati elementis additiis in fine, nimis velociter, et quasi ex abrupto, post communionem clauderetur.

Fructus experientiae pastoralis hac in re indicabit de convenientia hoc novum elementum servandi necne in definitiva institutione statuenda.

16. In fine Missae populo benedicitur immediate ante dimissionem. *Placeat* laudabiliter a sacerdote ab altari recedente secreto dicitur.

Etiam in Missis defunctorum datur benedictio et fit dimissio formula consueta, *Ite, missa est*, nisi immediate sequatur absolutio; quo in casu, omissa benedictione et dicto *Benedicamus Domino*, proceditur ad absolutionem.

Quot fuerint disceptationes et propositiones ac desideria expressa circa ritum conclusionis Missae, hisce annis, omnes norunt. Plures enim solutiones dari possunt, omnesque sufficientibus argumentis fulciri.

Solutio quae hic proponitur, simplex et clara apparet: osculum altaris (hoc indicatur in *Variationibus*), salutatio et benedictio populi, dimissio. Clara quidem est, quia elementa logice sibi succedunt; simplex quia, etiam quando Missa non celebratur versus populum, sacerdos unica vice et definitive se convertit ad fideles, quin teneatur iterum ad altare se convertere.

Ordo elementorum suggeritur etiam considerando formas benedictionis quae haberi possunt in fine Missae. In traditione enim habentur benedictionis formae sollemniores, plusquam uno elemento constantes, quae utiliter, saltem quibusdam in adiunctis et festis, resumí possent: his in casibus certe magis congruit ordini rei ut benedictio dimissionem praecedat, ne celebratio protrahatur postquam populus dimissus est.

Cum hac rituum dispositione conveniens videtur ut in Missis in cantu etiam benedictio finalis cani possit, ne fere dispareat si clara voce dicatur inter duas formulas quae cantu proferuntur.

Elementum quod disparet est oratio *Placeat*. Haec oratio quae inter « apologias » computatur, invenitur saec. IX tamquam formula quam sacerdos post Missam recitare poterat; saeculo autem XIV inter formulas dimissionis et benedictionis posita est. Hodier-na dispositione ad munus nativum redit, cum proponatur reci-tanda *laudabiliter* celebranti, dum ab altari discedit.

Uniformitas insuper statuitur, quoad ritum conclusionis etiam in Missis defunctorum: datur enim benedictio et dicitur *Ite, missa est* sicut de more, nisi immediate sequatur absolutio. Ete-nim etiam in Missa defunctorum coetus dimittitur, eique con-gruenter benedictio impertitur.

Notandum est *Variationes* agere solummodo de absolutione *super feretrum*, idest praesente cadavere. Quod certe desiderium innuit ut absolutio *super tumulum* paulatim ex usu auferatur, saltem forma hodierna, idest quando fit super tumulum ficticium.

Remanet *¶. Benedicamus Domino*, cum Missam sequitur aliqua processio liturgica aut alia actio liturgica cum Missa directe con-nexa, prouti statutum fuerat in Codice rubricarum (n. 507 a). Attenta autem universa ratione disponendi res, quae praesen-tem Instructionem regit, putamus etiam hanc invitationem esse a diacono vel a celebrante proferendam stando versus fideles, non illis terga vertendo.

IV. DE QUIBUSDAM CIRCUMSTANTIIS PARTICULARIBUS

17. In Missis « Pro sponsis » orationes *Propitiare* et *Deus, qui pote-state* non dicuntur inter orationem dominicam et eius embolismum, sed post fractionem et immixtionem, immediate ante *Agnus Dei*.

Si autem Missa celebratur ad altare versus populum, celebrans, post immixtionem, pro opportunitate, facta genuflexione, accedit ad sponso-s et dicit praedictas orationes. Quibus expletis, redit ad altare, genu-flectit, et Missam de more prosequitur.

Traditio romana (cf. *Sacr. Gelasianum*, n. 1453) benedictionem super sponsam habet expleto embolismo orationis dominicae, ante *Pax Domini*. Etenim dispositio usque adhuc vigens, idest eam proferendi inter orationem dominicam et eius embolismum, uni-tatem quae inter utrumque intercedit profunde abruptit.

Cum tota haec pars Ordinis Missae profundius sit instauranda, ponendo fractionem panis dum canitur *Agnus Dei*, interim bene-dictio super sponsam ponitur post *Pax Domini*, antequam prae-paratio ad communionem procedat.

18. Missa celebrata a sacerdote caecutiente vel infirmo, qui ex indulto Missam votivam dicit, ita ordinari potest:

- a) sacerdos orationes et praefationem dicat e Missa votiva;
- b) alius sacerdos vel diaconus vel lector, vel ministrans proferat lectiones e Missa diei vel e lectionario per ferias disposito. Si lector vel ministrans tantum habetur, huic facultas fit legendi etiam Evangelium, omissis tamen *Munda cor meum; Iube domne, benedicere et Dominus sit in corde meo*. Celebrans autem lectioni evangelicae praemittit *Dominus vobiscum*, et in fine librum osculatur;
- c) Schola vel populus aut etiam ipse lector proferre possunt antiphonas ad introitum, ad offertorium et ad communionem necnon cantus inter lectiones occurrentes.

Ob hodiernam sacerdotum penuriam, Missa cum populo saepe celebratur a sacerdote caecutiente vel infirmo, qui generatim indulto gaudet celebrandi, loco Missae diei, aliquam Missam votivam. Fidelibus ergo cotidie iisdem textus audiendi essent. Ab hoc incommodo cavendi causa, hic solutio proponitur, quae, etsi optima, non est tamen necessario stricte observanda; ordini ergo proposito aliqua variatio, secundum opportunitatem, afferre licet. Cantus processionales potius e Missa diei sumantur.

V. DE QUIBUSDAM VARIATIONIBUS IN OFFICIO DIVINO

19. Diebus I et II classis, qui Matutinum habent cum tribus Nocturnis, donec instauratio Officii divini perficiatur, unus tantum Nocturnus cum tribus psalmis et tribus lectionibus dici potest. Hymnus *Te Deum* dicitur, iuxta rubricas, post tertiam lectionem. In Triduo sacro servantur rubricae propriae Breviarii romani.

Usque adhuc in applicanda Constitutione liturgica relate ad Officium divinum tantum facultas data erat omittendi Horam Primam et unam e tribus Horis minoribus seligendi (Litt. Apost. *Sacram Liturgiam*, 25 ian. 1964, n. VI), ac adhibendi linguam vernaculam in recitatione extra chorum, ad normam art. 101 eiusdem Constitutionis. Nunc autem ipsa structura Horarum tangitur, qua via futuri Breviarii instaurati aperitur. Matutinum est officium lectionis, eiusque indoles potius meditativa. Psalmodia ergo abbreviabitur, ad normam art. 89 c Constitutionis, ut abundantior lectio habeatur. In structura Matutini festivi quae hic proponitur, nempe unius tantum nocturni cum tribus psalmis et tribus

lectionibus, ut infra octavam Paschatis et Pentecostes, diminutio psalmodiae per maiorem quantitatem lectionis non compensatur. Attamen ratio habetur de necessitatibus sacerdotum qui generatim in festis et feriis, in quibus Matutinum tribus nocturnis constat, gravi labore pastoralis obruuntur. Etenim non tantum diversa natura dierum liturgicorum considerata erit, sed etiam qualitas personarum Officium divinum celebrantium prae oculis habenda est.

Sacerdos quemvis ex tribus Nocturnis dicere potest. Haec facultas etiam pro recitatione choralis aut in communi valet. Hoc in casu electio ab eo qui praesidet aut a Superiore fiet. Nocturnus electus ita ordinatur: praemittuntur versus introductorii, invitatorium cum psalmo 94 et hymno, sequuntur tres psalmi cum suis antiphonis et tres lectiones cum suis responsoriis, ut in Breviario iacent. In festis autem, si dicitur primus vel secundus Nocturnus, post secundum responsorium dicitur *Gloria Patri* et repetitur altera pars responsorii; in fine vero tertiae lectionis, omisso responsorio, dicitur *Te Deum*.

In Officio defunctorum, unum tantum Nocturnum eligere licet, servatis peculiaribus rubricis Breviarii.

20. In recitatione a solo, omittuntur absolutio et benedictiones ante lectiones, et conclusio *Tu autem*, in fine earum.

Multi sacerdotes, qui Officium privatim recitant, aegre ferunt elementa sic dicta choralia et exoptant ut auferantur. Haec quaestio iam exsurrexit in Breviario reformato a Card. Quiñones apparato, et per saecula sequentia pluries disputata est. Agitata quoque fuit in Aula conciliari. Quidam Patres petierunt ut haec elementa a futuro Breviario penitus expungantur, vel saltem in recitatione privata ad libitum relinquantur. Tamen in Breviario reformato quaedam huiusmodi elementa forte servabuntur, ut indoles communitaria Breviarii in memoriam revocetur, ad fovendam orationem et contemplationem, et ut possint adhiberi quando sacerdotes insimul conveniunt et orant. Sed hoc valet praesertim de antiphonis et responsoriis. Absolutiones et benedictiones artificiositatem quamdam sapiunt, nec in antiquiore forma breviarii inveniuntur, teste Officio Tridui sacri et defunctorum. Modus aptior invenietur ad transitum signandum a psalmodia ad lectionem, qui nunc fit per versiculum tantum.

21. In persolvendis Laudibus et Vesperis cum populo, loco capituli lectio longior e sacra Scriptura fieri potest, textum sumendo, v. gr. e Matutino aut e Missa diei, aut e lectionario feriali, addita, pro oppor-

tunitate, brevi homilia. Ante orationem vero, nisi Missa immediate sequatur, fieri potest etiam oratio fidelium.

Quoties haec elementa inseruntur, tres tantum psalmi dici possunt, hac ratione: ad Laudes sumitur unus e tribus prioribus, canticum et ultimus psalmorum; ad Vesperas vero, tres e quinque psalmis seligi possunt.

Laudes et Vesperae duplex cardo Officii divini habentur. Ex ipsa eorum structura apparere debent ut oratio matutina et vespertina totius communitatis christianae et non tantum clericorum et monachorum.

Modus qui proponitur pro celebratione Laudum et Vesperarum cum populo non est concessio quaedam, nec agitur de forma reducta, quasi secundi ordinis. Sed potius ius, quod omnes habent has partes Officii plene participandi, recognoscitur. Ipsa distinctio inter recitationem privatam et celebrationem cum populo respondet principio de Breviario actuali intacto servando.

Cantus psalmorum, praesertim in lingua vernacula, cum tranquillitate faciendus est, quod grave esset si plures haberentur psalmi decantandi.

Ergo ad Laudes, iuxta ordinem traditionalem, retinetur psalmus matutinus (unus e tribus prioribus in Breviario actuali), unum canticum Veteris Testamenti, et unus psalmus laudativus, cum respectivis antiphonis.

Ad Vesperas vero tres retinentur psalmi, ad libitum eligendis e quinque a Breviario propositis. In votis est ut in instauratione definitiva duo tantum habeantur psalmi, addito cantico ex Novo Testamento.

Reductio psalmorum per lectionem longiorem sacrae Scripturae et orationem fidelium compensatur. In futuro haec oratio pro Laudibus et Vesperis probabiliter extruetur generis literarii diversi ab oratione universali in Missa, ad vitandum taedium et etiam ut privatae recitationi congruat.

Hac ratione iam ex nunc pastoribus possibilitas datur populum ducendi ad Officium divinum participandum, quod cum Missa praecipua sacrae Liturgiae pars est. Praesertim diebus dominicis et festis, in vigiliis vel in aliis circumstantiis cum populus frequentior ecclesiam adit, etiam haec aptior et verior forma precationis Ecclesiae haberi potest.

22. Quando Completerium cum populi participatione persolvitur, semper psalmi de dominica adhiberi possunt.

Haec quoque commoditas tendit ad divini Officii celebrationem fovendam.

Psalmi dominicae perpulchri sunt et aptissimi ad Horam Completorii. Ante reformationem S. Pii X cotidie recitabantur, quod adhuc fit in Breviario monastico.

VI. DE QUIBUSDAM VARIATIONIBUS IN OFFICIIS DEFUNCTORUM

23. In Officiis et Missis defunctorum color violaceus adhiberi potest. Attamen Conferentiarum Episcopaliū erit etiam alium colorem liturgicum statuere, qui aptus sit ingenio populorum, quique et dolorem humanum non offendat et spem christianam ostendat mysterio paschali illuminatam.

Hic articulus, n. 81 Constitutionis applicat de aptatione liturgiae exsequialis, etiam quoad colorem liturgicum, ita ut indoles paschalis mortis christianae manifestius exprimatur et simul dolor humanus non offendatur. Color violaceus huiusmodi equilibrium bene exprimere videtur (saltem in regionibus occidentalibus).

24. In absoluteione super feretrum vel super tumulum, responsorium *Libera me, Domine*, substitui potest per alia responsoria sumpta e Matutino defunctorum, nempe *Credo quod Redemptor meus vivit; Qui Lazarum resuscitasti; Memento mei, Deus; Libera me, Domine, de viis inferni*.

Eadem de causa, nempe ut spes christiana mysterio paschali illuminata, extollatur, permittitur alia responsoria magis apta adhibere loco responsorii *Libera me, Domine*, quod notionem mortis modo nimis tetro praebet, et non semper bene redditur lingua vulgari.

Ex altera parte institutio populi necessaria est. Nam quibusdam in regionibus, liturgia funebris cum his elementis traditionalibus, *Dies irae, Libera*, etc., connectitur (cf. *Notitiae*, n. 28-29, 1967, p. 158-159). Novus ritus exsequiarum, qui nunc experimento subicitur, in luce ponit in hac parte liturgiae funebris non agi de « absoluteione » vel « de aliqua purificatione defuncti (quae ordinarie iam facta est per sacrificium eucharisticum) sed de extrema valedictione — illuminata quidem per spem vitae aeternae — qua communitas christiana membrum suum consalutat, antequam corpus efferatur » (cf. *Notitiae*, n. 24, 1966, p. 359).

VII. DE SACRIS VESTIBUS

25. Manipulus semper omitti potest.

Manipulus derivare videtur a *mappula* romana quae ad ornatum et ad utilitatem practicam adhibebatur. Ea utebantur Consules ad circenses aperiendos. Subdiaconus in Ordine romano I mappulam pontificis accipiebat et ingrediens ecclesiam scholae signum faciebat ut cantum ad introitum inciperet. Quandoque autem, diaconus calicem et patenam celebranti *mediante mappula* porrigebat (ex gr. *Ordo Stefaneschi*, a. 1311).

Nostris temporibus manipulus factus est vestis sacra adhibita a subdiacono, diacono, presbytero et episcopo in ministerio Missae tantum. Tamen, nullus est utilitatis nec practicae nec aesteticae, eiusque significatio non percipitur; dum e contra gestus in actione sacra peragendos impedit.

26. Aspersio aquae ante Missam dominicae, benedictio et impositio cinerum in capite Quadragesimae, et absolutio super feretrum vel super tumulum fieri possunt cum planeta.

Aliae actiones liturgicae similes non recensentur, v. g. Benedictio candelarum, die 2 februarii, translatio SS.mi Sacramenti post Missam vespertinam in Cena Domini, quia cum aliqua processione connectuntur.

27. Omnes concelebrantes sacras vestes induere debent, quas sumere tenentur cum Missam soli celebrant (*Ritus servandus in Concelebratione Missae*, n. 12).

Accedente tamen gravi causa, v. gr. frequentiore concelebrantium numero et deficientia sacrorum paramentorum, concelebrantes, excepto semper celebrante principali, omittere possunt casulam, numquam vero albam cum stola.

Praeceptum *Ritus servandi in concelebratione Missae*, n. 12 eo tendit ut concelebratio cum dignitate et decore peragatur. Experientia tamen, et diffusio usus concelebrationis, quamdam magnificentiam ostendit, quae nimia videtur praesertim in concelebratione cotidiana in communitatibus sacerdotum. Difficultas insuper adest practica, nempe casulas pro omnibus concelebrantibus habendi, praesertim in monasteriis et in magnibus adunationibus.

Nunc autem aliquid minimum statuitur, quo nobili dignitati celebrationis providetur, praesertim si stola paulisper amplior adhi-

beatur et quod omnes sacerdotes si casus fert, commode secum afferre possunt. Hoc minimum sine difficultate ab omnibus servari potest, etiam in monasteriis, ubi concelebratio cum sola stola desuper cuculla nullo modo admittitur.

VIII. DE LINGUA VERNACULA ADHIBENDA

28. Conferentia Episcopalis statuere potest, servatis iis quae in art. 36 §§ 3 et 4 Constitutionis de sacra Liturgia habentur, ut lingua vernacula adhiberi valeat, in actionibus liturgicis cum populo celebratis, etiam:

- a) in Canone Missae;
- b) in universo ritu sacrarum Ordinationum;
- c) in lectionibus divini Officii, etiam in recitatione choralis.

Hac concessione, practice omnes partes sacrae Liturgiae lingua vernacula peragi possunt. Tantum in celebratione divini Officii in choro, exceptis lectionibus, usus linguae vulgaris adhuc non admittitur.

In hac regione principium gradualitatis motum celerrimum subiit. Lingua vernacula quibusdam in partibus introducta, desiderium movit etiam alias partes directe intellegendi in nativo sermone, sine ullo intermediario. Persentitur liturgiam esse opus totius populi Dei, omnesque eius partes, etsi modo unicuique proprio, ad omnes fideles pertinere. Quod concordat menti Patrum Concilii qui ad usum linguae vernaculae quod spectat, nullam partem Missae expresse excludere voluerunt « quamvis — dicitur in Relatione — consideratione digni sint illi Patres qui Canonem excluderent » (*Emendationes*, VI, p. 18). Distinctio facta est inter lectiones, orationem fidelium et preces quae a populo dicuntur, pro quibus competentia Conferentiis Episcopalibus tributa est ad normam art. 36 Constitutionis de sacra Liturgia, et preces quae a solo celebrante dicuntur pro quibus concessio pendet ab Apostolica Sede.

Et Apostolica Sedes per Instructionem *Inter Oecumenici*, diei 26 sept. 1964, usum linguae vulgaris in orationibus, in formulis dialogi et in embolismo orationis dominicae concessit; die vero 27 aprilis 1965 in praefatione Missae; nunc autem in Canone et in toto ritu sacrarum Ordinationum.

Pro sacris Ordinibus, enim, stante art. 76 Constitutionis, lingua vulgaris admissa fuit tantum « in admonitionibus initio cuiusque Ordinationis vel Consecrationis, in examine electi in Consecratione

Episcopali et in admonitionibus » (*Inter Oecumenici*, n. 61 b). Excludebantur praefationes et orationes.

Nunc autem Ecclesia fidelibus aperit cor suae precationis, formulas nempe euchologicas quibus Eucharistia conficitur et sacri administri constituuntur. Et merito quidem. Nam Ordinationes momentum omnino peculiare sunt in vita dioecesis et paroeciae, ac eorum occasione, magna copia fidelium circa Episcopum in ecclesia cathedrali vel paroeciali congregatur.

Ex altera parte, necessitas huius concessionis pro prece eucharistica Missae fortius in dies sentiebatur, praesertim post celebratam liturgiam verbi, totaliter lingua vulgari.

Iudicium tamen de opportunitate introducendi linguam vernaculam in has partes pertinet ad Conferentias Episcopales ad normam art. 36, §§ 2 et 3 Constitutionis. Decisio autem Conferentiae Episcopalis, si qua fiet, tunc tantum in praxim deduci potest, cum textus ab eadem Conferentia approbatus, a « Consilio » confirmatus fuerit (*Inter Oecumenici*, n. 31).

Insuper pro regionibus qui eadem lingua utuntur interpretatio popularis unica esse debet.

Translatio Canonis romani, ex dispositione Auctoritatis, ex novo et accurate conficienda est. Non admittuntur versiones in parvis missalibus iam exstantes. Insuper fidelis et integra esse debet. Venerabilis enim Canon romanus in liturgia manebit veluti monumentum totius traditionis. Illi autem aliae formulae addentur, indoli romanae respondentem, sed aliquatenus diversae quoad structuram generalem, contentum et partium dispositionem (cf. *Notitiae*, n. 28-29, 1967 p. 143-144).

Ss.mus Dominus noster Paulus PP. VI, referente infrascripto Arcadio Maria Card. Larraona, sacrae Rituum Congregationis Praefecto, in audientia, die 13 aprilis 1967 eidem concessa, praesentem Instructionem in omnibus et singulis approbavit et auctoritate Sua confirmavit, atque publici iuris fieri iussit, ab omnibus ad quos spectat inde a die 29 iunii 1967 sedulo servandam.

Romae, die 4 maii 1967, in festo Ascensionis D. N. I. C.

IACOBUS Card. LERCARO
*Archiepiscopus Bononiensis
Praeses Consilii ad exsequendam
Constitutionem de sacra Liturgia*

ARCADIUS M. Card. LARRAONA
S. R. C. Praefectus

† Ferdinandus Antonelli
*Archiep. tit. Idicrensis
S. R. C. a Secretis*

VARIATIONES IN ORDINEM MISSAE INDUCENDAE

Post editam Instructionem alteram, quae nonnullas variationes in Ordinem Missae inducit, S. Congregatio Rituum, sicuti in aliis similibus rerum adiunctis, curavit editionem officialem textus earum partium Ordinis Missae, quae mutari debent, ut dispositiones Instructionis securius in praxim deduci possint.

Fasciculus has Variationes continens editus est Typis Polyglottis Vaticanis. Ad utilitatem lectorum, opportunum ducimus textum Variationum referre, prouti in editione officiali legitur, idest in pagina sinistra refertur textus Ordinis Missae usque nunc vigens; in pagina autem dextera textus noviter emendatus.

SACRA CONGREGATIO RITUUM

Prot. R. 21/967

DECRETUM

Per Instructionem alteram *Tres abhinc annos*, die 4 maii currentis anni editam, novae quaedam immutationes in Ordinem Missae introductae sunt; quare opportunum visum est variationes apparare in eundem Ordinem Missae, ad normam memoratae Instructionis, introducendas.

Quas variationes, a Consilio ad exsequendam Constitutionem de sacra Liturgia diligenter redactas, ab eodem Consilio et ab hac Sacra Rituum Congregatione probe examinatas, eadem haec Sacra Rituum Congregatio, utendo facultatibus sibi a SS.mo Domino nostro Paulo Papa VI tributis, approbavit, mandans ut publici iuris fiant, ab omnibus ad quos spectat fideliter servandas.

Contrariis quibuslibet minime obstantibus.

Die 18 maii 1967.

IACOBUS Card. LERCARO

*Archiepiscopus Bononiensis
Praeses Consilii ad exsequendam
Constitutionem de sacra Liturgia*

ARCADIUS M. Card. LARRAONA

S. R. C. Praefectus

† Ferdinandus Antonelli

*Archiep. tit. Idicrensis
S. R. C. a Secretis*

11. *Deinde, versus ad populum, dicit: M. Dóminus vobíscum. Omnes R. Et cum spírítu tuo. Postea dicit: Orémus, et orationes, iuxta rubricas. Si celebrans est ad altare, illud osculatur antequam dicat Dóminus vobíscum.*

18. *Deinde, iuxta cuiusque loci consuetudinem, fit oratio communis seu fidelium, quam celebrans aut ad sedem aut ex altari aut in ambone vel ad cancellos moderatur. Symbolo itaque expleto, celebrans versus ad populum dicit: M. Dóminus vobíscum. R. Et cum spírítu tuo. Deinde subiungit: Orémus, et fit oratio fidelium. Si celebrans est ad altare, illud osculatur antequam dicat: Dóminus vobíscum; secus cum ad altare accedit, oratione fidelium completa.*

Si vero oratio fidelium non est facienda, celebrans altare osculatur; deinde, versus ad populum, dicit: M. Dóminus vobíscum. R. Et cum spírítu tuo. Postea subiungit: Orémus.

20. *Si Missa est sollemnis, diaconus porrigit celebranti patenam cum hostia: secus sacerdos ipse accipit patenam cum hostia, quam offerens, dicit:*

Súscipe, sancte Pater ... in vitam ætérnam. Amen.

Deinde, faciens crucem cum eadem patena, deponit hostiam super corporale.

22. *Postea accipit calicem, et offert, dicens:*

Offérimus tibi, Dómine, cálicem salutáris ... cum odóre suavitátis ascéndat. Amen.

Deinde facit signum crucis cum calice, et illum ponit super corporale et palla cooperit.

29. *Postea osculatur altare et, versus ad populum, extendens et iungens manus, congrua voce, dicit:*

Oráte, fratres ...

30. *Deinde, manibus extensis, absolute sine Orémus cantat vel clara voce dicit orationes super oblata, usque ad Per ómnia sǽcula sǽculórum inclusive.*

11. *Deinde, versus ad populum, dicit: V. Dóminus vobíscum. Omnes R. Et cum spírítu tuo. Postea dicit: Orémus et orationem, iuxta rubricas.*

18. *Symbolo expleto, celebrans versus ad populum dicit: V. Dóminus vobíscum. R. Et cum spírítu tuo.*

Deinde, si est dicenda, iuxta cuiusque loci consuetudinem fit oratio communis seu fidelium, quam celebrans aut ad sedem aut ex altari aut in ambone vel ad cancellos moderatur.

20. *Si Missa est solemnis, diaconus porrigit celebranti patenam cum hostia: secus sacerdos ipse accipit patenam cum hostia, quam offerens, dicit:*

Súscipe, sancte Pater ... in vitam ætérnam. Amen.

Deinde deponit patenam cum hostia super corporale.

22. *Postea accipit calicem, et offert, dicens:*

Offérimus tibi, Dómine, cálicem salutáris ... cum odóre suavitátis ascéndat. Amen.

Deinde calicem ponit super corporale, et palla cooperit.

29. *Postea, versus ad populum, extendens et iungens manus, congrua voce, dicit:*

Oráte, fratres ...

30. *Deinde, manibus extensis, absolute sine Orémus cantat vel clara voce dicit orationem super oblata; usque ad Per ómnia sǎcula sǎculórum inclusive.*

32. *Celebrans, extendens, elevans et iungens manus, elevansque oculos, et statim demittens, profunde inclinatus ante altare, manibus super eo positis, dicit secreto:*

Te igitur, clementissime Pater, per Iesum Christum, Filium tuum, Dóminum nostrum, súpplīces rogámus ac pétimus, *osculatur altare et, iunctis manibus ante pectus, dicit:* uti accépta hábeas et benedícas *signat ter super hostiam et calicem simul, dicens:* hæc ☩ dona, hæc ☩ múnera, hæc ☩ sancta sacrificia illibáta, *extensis manibus prosequitur:* in primis, quæ tibi offérimus pro Ecclésia tua sancta cathólica: quam pacificáre, custodíre, adunáre et régere dignéris toto orbe terrárum: una cum fámulo tuo Papa nostro N. et Antístite nostro N. et ómnibus orthodóxis atque cathólicæ et apostólicæ fidei cultóribus.

36. Quam oblatiónem tu, Deus, in ómnibus, quæsumus, *signat ter super oblata, bene ☩ dictam, adscríp ☩ tam, ra ☩ tam, rationábilem, acceptabílemque fácere dignéris: signat semel super hostiam, ut nobis Cor ☩ pus et semel super calicem, et San ☩ guis fiat dilectíssimi Filii tui, iungit manus, Dómini nostri Iesu Christi.*

37. Qui pridie quam paterétur, *accipit hostiam, accépit panem in sanctas ac venerábiles manus suas, elevat oculos, et elevátis óculis in cælum ad te Deum Patrem suum omnipoténtem, caput inclinat, tibi grátias agens, signat super hostiam, bene ☩ díxit, fregit, dedítque discipulis suis, dicens:* Accípite, et manducáte ex hoc omnes.

Tenens ambabus manibus hostiam inter indices et pollices, profert verba consecrationis distincte et attente super hostiam, et simul super omnes, si plures sint consecrandæ.

Hoc est enim Corpus meum.

Quibus verbis prolatis, statim hostiam consecratam genuflexus adorat: surgit, ostendit populo, reponit super corporale, et genuflexus iterum adorat: nec amplius pollices et indices disiungit, nisi quando hostia tractanda est, usque ad ablutionem digitorum.

In Missis cum populo etiam non concelebratis, licet sacerdoti celebranti Canonem, pro opportunitate, intelligibili voce proferre. In Missis autem in cantu licet ei illas partes Canonis cantare, quae, iuxta ritum servandum in concelebratione Missae, cantari possunt.

32. *Celebrans erectus, manibus extensis, dicit:*

Te igitur, clementissime Pater, per Iesum Christum, Filium tuum, Dóminum nostrum, súplices rogámus ac pétimus, *iungit manus et dicit:* uti accépta hábeas *signat semel super hostiam et calicem simul, dicens:* et benedícas ☩ hæc dona, hæc múnera, hæc sancta sacrificia illibáta, *extensis manibus prosequitur:* in primis, quæ tibi offérimus pro Ecclésia tua sancta cathólica: quam pacificáre, custodíre, adunáre et régere dignéris toto orbe terrárum: una cum fámulo tuo Papa nostro N. et Antístite nostro N. et ómnibus orthodoxis atque cathólicæ et apostólicæ fidei cultóribus.

36. *Manibus iunctis, prosequitur:*

Quam oblatiónem tu, Deus, in ómnibus, quæsumus, benedíctam, adscríptam, ratam, rationábilem, acceptabílemque fácere dignéris: ut nobis Corpus et Sanguis fiat dilectíssimi Filii tui, Dómini nostri Iesu Christi.

37. Qui pridie quam paterétur, *accipit hostiam*, accépit panem in sanctas ac venerábiles manus suas, *elevat oculos*, et elevátis óculis in cælum ad te Deum Patrem suum omnipoténtem, *caput inclinat*, tibi grátias agens, benedíxit, fregit, dedítque discípulis suis, dicens: Accípite, et manducáte ex hoc omnes.

Tenens ambabus manibus hostiam inter indices et pollices, profert verba consecrationis distincte et attente super hostiam, et simul super omnes, si plures sint consecrandæ.

Hoc est enim Corpus meum.

Quibus verbis prolatis, statim hostiam consecratam adorandam ostendit populo, reponit super patenam, et genuflexus adorat.

Post consecrationem, celebranti licet pollices et indices non coniungere; si vero aliquod fragmentum hostiæ digitis adhæserit, digitos super patenam abstergat.

38. *Tunc, detecto calice, dicit:*

Símili modo postquam cenátum est, *ambabus manibus accipit calicem*, accípiens et hunc praelárum cálicem in sanctas ac venerábiles manus suas: item *caput inclinat*, tibi grátias agens, *sinistra tenens calicem, dextera signat super eum*, bene ☩ dñxit, dedítque discíplulis suis, dicens: Accípíte, et bíbite ex eo omnes.

Profert verba consecrationis super calicem attente et continue, tenens illum parum elevatum.

Hic est enim Calix Sánguini mei, novi et ætérni testaménti: mystérium fídei: qui pro vobis et pro multis effundétur in remissionem peccatórum.

Quibus verbis prolatis, deponit calicem super corporale, et dicens:

Hæc quotiescúmque fecéritis, in mei memóriam faciétis.

Genuflexus adorat: surgit, ostendit populo, deponit, cooperit, et genuflexus iterum adorat.

39. *Deinde, disiunctis manibus, dicit:*

Unde et mémores, Dómine, nos servi tui, sed et plebs tua sancta, eiúsdem Christi Filii tui, Dómini nostri, tam beátæ passióis, nec non et ab ínferis resurrectionis, sed et in cælos gloriósæ ascensióis: offérimus praeláre maiestáti tuæ de tuis donis ac datis *iungit manus, et signat ter super hostiam et calicem simul, dicens:* hóstiam ☩ puram, hóstiam ☩ sanctam, hóstiam ☩ immaculátam, *signat semel super hostiam, dicens:* Panem ☩ sanctum vitæ ætérnæ, *et semel super calicem, dicens:* et Cálicem ☩ salútis perpétuæ.

40. *Extensis manibus prosequitur:*

Supra quæ propítio ac seréno vultu respícere dignéris ...

41. *Profunde inclinatus, iunctis manibus et super altare positis, dicit:*

Súpplíces te rogámus, omnípotens Deus: iube hæc perférri per manus sancti Angeli tui in sublíme altáre tuum, in conspéctu divínæ maiestátis tuæ: ut, quotquot *osculatur altare*, ex hac altáris participatióne sacrosáctum Filii tui *iungit manus, et signat semel super hostiam, et semel super calicem*, Cor ☩ pus et Sán ☩ guinem sumpsérimus, *seipsum signat, dicens:* omni benedictióne cælésti et grátia repleámur. *Iungit manus.* Per eúndem Christum Dóminum nostrum. Amen.

38. *Tunc, detecto calice, dicit:*

Símili modo postquam cenátum est, *ambabus manibus accipit calicem*, accípiens et hunc præclárum cálicem in sanctas ac venerábiles manus suas: *caput inclinat*, item tibi grátias agens, benedíxit, deditque discípulis suis, dicens: Accípите, et bíbite ex eo omnes.

Profert verba consecrationis super calicem attente et continue tenens illum parum elevatum.

Hic est enim Calix Sánguini mei, novi et ætéрни testaménti: mystérium fídei: qui pro vobis et pro multis effundétur in remissionem peccatórum.

Et statim addit:

Hæc quotiescúmque fecéritis, in mei memóriam faciétis.

Deinde calicem ostendit populo, deponit super corporale, cooperit et genuflexus adorat.

39. *Deinde, extensis manibus, dicit:*

Unde et mémore, Dómine, nos servi tui, sed et plebs tua sancta, eiúsdem Christi Fílii tui, Dómini nostri, tam beátæ passiónis, nec non et ab ínferis resurrectionis, sed et in cælos gloriósæ ascensionis: offérimus præcláræ maiestáti tuæ de tuis donis ac datis hóstiam puram, hóstiam sanctam, hóstiam immaculátam, Panem sanctum vitæ æternæ, et Cálicem salútis perpétuæ.

40. *Supra quæ propítio ac seréno vultu respícere dignéris ...*

41. *Profunde inclinatus, iunctis manibus et super altare positus, dicit:*

Súpplīces te rogámus, omnípotens Deus: iube hæc perférri per manus sancti Angeli tui in sublīme altáre tuum, in conspéctu divínæ maiestátis tuæ: ut, quotquot ex hac altáris participatióne sacrosánctum Fílii tui Corpus et Sánguinem sumpsérimus, *erigit se et seipsum signat, dicens:* omni benedictiόne cælésti et grátia repleámur *Iungit manus.* Per eúndem Christum Dóminum nostrum. Amen.

43. *Manu dextera percutit sibi pectus, elata alinquantulum voce dicens:*

Nobis quoque peccatōribus *extensis manibus ut prius, secrete prosequitur: fámulis tuis .. largitor admítte. Iungit manus.* Per Christum Dóminum nostrum.

44. Per quem hęc ómnia, Dómine, semper bona creas, *signat ter super hostiam et calicem simul, dicens: sanctí* ✠ *ficas, viví* ✠ *ficas, bene* ✠ *dícis et præstas nobis.*

45. *Discooperit calicem, genuflectit, accipit hostiam inter pollicem et indicem manus dexteræ, sinistra autem calicem, et elevans eum parum cum hostia, quam tenet super calicem, clara voce cantat vel dicit:*

Per ipsum, et cum ipso, et in ipso, est tibi Deo Patri omnipoténti, in unitáte Spíritus Sancti, omnis honor, et glória, per ómnia sǎcula sǎculórum.

Omnes respondent: Amen.

